DE TUENDA RELIGIONE LIBER SINGULARIS

DE

TUENDA RELIGIONE

LIBER SINGULARIS

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA SOFFIETTI

ANNO M · DCCCXI.

Perlegenti mihi ecclesiasticos annales moeror saepe animum ingruit et horror, quod tot tantaque ex haereticis, pessimisque catholicorum in Ecclesiam damna nec sarta unquam fuerint, diuturnâque, ut ita dicam, desperatione rerum sarciri haudquaquam posse videantur. Etenim, si de veterrimis loquar, undenam Arii, Nestorii, Eutichetis, aliorumque omnino depulsa pernicies? Longe haec lateque pestifera per Aegyptum, Africam, et Asiam Ecclesias Conciliorum frequentiâ, Episcoporum doctrinâ, ac sanctitate, omnique apud fideles virtutum genere florentissimas diu vastavit perdiditque. Nec elapsa periculo Graecia, avitae licet fidei studio, totque Patrum sapientiâ viguisset. Ibi primum dissidia erupere, quorum semina jam usque ab quinto saeculo iniqua Constantinopolitanorum ambitio jecerat, quaeque inconsulta pôsthac Romanorum Pontificum fovit asperitas, ut ad jurgia et convicia, tandem vel schisma, nec sine crimine haereseos magna illa prolaberetur Ecclesia. Irruit inter haec pervasitque latius violenta armis, suasuque flagitiosae doctrinae haud minus valida Mahumedis supersti-

tio, ac brevi per eas regiones vix Christiani nominis vestigia superfuere.

2. Longioris aevi lapsu, super diuturna luxus, avaritiae, ac dominationis vitia, unde vetus Ecclesiae forma pene conciderat, gravius tandem ex Luthero, Calvino, Zuinglioque malum erupit. Quippe hi emendandae per speciem Religionis, uti Vicleſi, Hussiique exempla praeiverant, nova dogmata, novamque ecclesiam, suo quisque sibi arbitratu, instaurare adgressi sunt. Adrisit facinus populis, quos turpior ignorantia infuscaverat; dirisque animorum incendiis efferbuere illae sectae. Hinc potior Germaniae pars, Rhetia simul, nobilioresque Helvetiorum Dioeceses, Allobrox Geneva, Gallorumque multa vis, Sueci, Danique, Batavorum plurimi, magna tandem Britannia, pleraque ex Hybernis, Scousque vetustam, qua nobis ad unitatem conglutinabantur, fidem abjecere. At quamvis in Catholicam Ecclesiam velut ex composito debaccharentur, tamen violatae se se invicem religionis incusabant, Sacris Scripturis ad libidinem interpretatione explicatis. Mira exinde haeresum, haereticorumque vis, dissimilitudo, ac contentio coaluit. Atque eo res deduceretur necesse fuit, ubi divinum sustulerint Ecclesiae magisterium, quo tota nititur statque Religio.

3. Neque is malorum modus aut finis. Nam repellendae nequitiae haud satis emendatione

disciplinae adlaboratum. Plura in rem susceperat Tridentinum Concilium, ope tamen invalida, cum Romana Curia, antiquae morum severitati infensa, intercederet, adactis in servitium Episcopis, Ecclesiaeque rebus, tanquam unius Pontificis permitterentur arbitrio, superbe gestis ne dicam perditis. Manebat quidem adversus haereticos fidelis ad perpetuitatem Ecclesiae doctrina; non illis tamen invisa minus, quippe quae per Romanos Curiales ambitiosis admisceretur inventis; ac tueri utrumque audacia hi potius quam constantia molirentur. Acerbiora odia invaluere, quod non doctrina et suasionibus, sed vi saepius latisque poenis catholicam fidem Curiales urgerent. Praestabat haec terrificum, ut vocant, sanctae Inquisitionis Officium, jam ab Innocentio Tertio, contra Evangelii naturaeque fas, excogitatum, unde tot miserrimorum hominum millia periere, simulatio pietatis praemiis aucta, et Religionis ipsius, perinde ac si eam calluisse periculosum, inscitia inoleverat.

4. Caeterum quo haeretici resipiscerent, vel ad silentium mitescerent, cohibitis quae humana superbia aut superstitio adstruxerat, Scripturam ipsam, et antiquitatem appellare oportebat. Sane jactatum id haereticis perfugium. Quid nobis vero facilius quam sub tanto judice mendacii illos et falsitatis arguere? At contra (triste memoratu!) Theologorum inter nostrates

turba surrexit, qui arcana dogmata, philosophica argumentandi ratione, unde firmior illis fides haberetur, enucleare, sanctaque praecepta, ne rigor vexaret, benignis placitis relaxare conati sunt. Quae duo perinde summam in gratiam accipiebantur. Nam inviolatae religionis (huc quippe vulgi studia inclinabant) amor praetendebatur: religiosa autem munia insueta hactenus facilitate praestabant, humanis velut cupiditatibus nonnihil consociari possent. Horruere doctores Catholicae Ecclesiae viri, collatisque laboribus adeo nefaria conata propellere adnitebantur. Et magno quidem Concilio absoluta res fuisset: illud vero tunc temporis coactu difficillimum, quod Romana Curia nihil haberet invisius; conveniendibus enim ex universo orbe Episcopis, saepius de minuendo Romani Pontificis imperio consultatum. Suberat etiam de sacris negotiis praejudicandi ambitio, quo veienda magis dominatio valesceret, evulgatoque, satis auctoritatis auxiliove Romano Pontifici divinitus inesse, ut quae jure primatus sanciret, certa ac recta haberentur, nec per ipsum generale Concilium emendari aut tolli possent.

5. Quin tamen per Romanos Pontifices in irrepentes errores statim lata sententia? caussa haud latet: novae doctrinae magistri Curialibus adstipulabantur; hinc studia partium gliscere, satiusque visum blandiloques Theologos tolerari

prius, quo ad populi gratiam facilius adrepe-rent, mox sensim docendo primas ferrent, sibi ac Curialibus partâ invicem tutelâ. Non defuere qui divinae veritatis jura strenue defenderent. Contentiones exarsete ac certamina, mirantibus necnon irridentibus haereticis, quod ex nostratibus antiquae doctrinae studiosos exiguo primum favore exceperit, dein aversis animis per obtrectationes, et molestias, pene et anathemata Romana Curia prosecuta fuerit. Hisce factionibus incertum nutare vulgus, Religionis amantius in dies, saepe tamen superstitioni obnoxium, cum plerique sacrorum Pastorum nec doceant, neque arguant, unde otium et ignavia, et pronior ad indecora quaeque facilitas. At pejora supersunt. Etenim cum suus jamdudum redire honos literis coeperit, et ad subtilius liberiusve philosophandum certatim coëant ingenia, superbiantque audaciora, pene omnium rerum caussis mnum in modum vestigatis perinde ac patefactis, arcana ipsa Religionis temerario ausu perpendere susceperunt: tanquam si quod naturam divinitus supergreditur, naturae viribus metiri ac internoscere fas. Inlustriora dogmata, quod rationi absona viderentur, rejecta, honoroque philosophorum nomine appellati quotquot indigna de Religione sentirent. Stultum id superbiae irritamentum, rursus solutior ex impietate morum licentia teterrimam incredulorum copiam peperit auxitque.

6. Interim in tanta miseriarum mole haud satis prudenter consultum. Episcopatus munia simul ac jura ignorasse, neque si calluerint, tueri sedulo Pastores videntur. Ea quidem, servandae licet fidei disciplinaeque divinitus collata, uni ad servitutem Pontifici certant asserere, sibi nonn si vindicantes quae humanis quaesita artibus, speciosa verbis, re inania, quod pompa niteant, magni aestimantur. Neo vicissim potius Romano Praesuli consilium. Incredulorum pene incuriosus id intentior satagit, ut Episcopus imperet, et Religionis ea potissimum, quae ceremonias attinent, asserventur, absurda non raro seu vetustis Patribus ignota. Quem vero adeo perversa exitum ferent, horreo ominari: ipsa tamen mali magnitudo cogit. Brevi Religio corruet, omnia prorsus vastabit impietas. Num his indignamini, et me prope ut haereticum inclamatis? Pareite itae: divini polliciti memor Ecclesiam aeternum mansuram profiteor; at huc potius quam illuc quis coelitus doctior fore praestiterit? Rem altius scrutanti immana periculum satis patet. Religionem Christianam miraculorum copia simul ac contumax adversus tormenta necesque martyrum patientia suasit, protulitque. Perennem hactenus doctrina fecit, nec praeteritae aetatis vitia prohibere quin vel a perditissimis hominum interdum honori haberetur. Ex ipsis haeresibus plurima licet fluerent damna, tamen id utilita-

tis, ut Catholicis adversantibus studium Religionis augesceret. Modo vero augustiora fidei acrius in dies per incredulos petita, nec, ut oportet, per Catholicos vindicata, oblivio primum obruet ac inscitia, dein, quibus superfuerit cognitio, profitendi palam illabetur pudor. Forte alacrior eniteret fides, si per vim oppugnaretur; aerumnae quippe tolerantur, et saepius oppressis audacior in violentos erigitur animi virtus. At postquam nedum tolerantia haereticorum, qua nihil justius, sed et errorum, qua veritati pari momento aequantur, invaluit, qui Deum colit, imbecillus audire, nulla in impios animadversio, nec publica, unde fideles caveant, nota, haud dedecus, magis vero laus ac crebrior gratia. Porro hae sunt apud vecordes caussae quod Evangelii pudeat; sin Deus avertat, prope erit, ut fastidio ac contemptu Religio tandem exolescat. Caetera, quae superstitio superaddidit, tempus teret, aut alia invehet levis vulgi natura.

7. Haud silentio praeteream, abolita recens affraenis populi tyrannide, ab incredulorum plurimis, quorum immanitatem nuper Catholici formidabant, versa mox vice, collatas in Religionem laudes, vel genu ad altaria flexo. Quorsum autem haec falsa pietatis species? Blandiuntur plebi, nec resipiscere ipsi: eaque simulatio graviore recidit Ecclesiae probro. Huc accedit vaferrimum de sacris negotiis agendi con-

silium. Scilicet divina habent incerta velut et fluxa, haud accipienda si dominationi obfuerint, retentis quae tempori congruant, coërcendaeque satis multitudini. Et nescio quid rumoris invasit, ubi Catholica fides latius defecerit, necnon haereticis sectarum studia deferbuerint, omnia jam perturbata miseri ac confundi posse, unumque per speciem adsciscì Christianitatis nomen, sub quo omnes nullo discrimine coëant; et tunc foedus ac pacem fore sempiternam. Auget famam metumve quod sua quemque hominum religione innoxium ac beatum increduli enixius jactitent; fuerintque hac aetate falsi nominis Theologi, qui saltem bona fide haereticos aeternis praemiis dignos praedicarent. Ergo afflictam his et jacentem Ecclesiam boni dolent lacrymanturque. Ma tamen futuri exitii omen haud inclinata prorsus spe terret, et subsidia adhuc ferre possumus; sed maturato est opus. Quid ultra igitur inertia, seu expectatione novae rei Praesules stupeant? Si instaurandae Religionis cura remordet, ipsorum est consuluisse. Tantam vero molem suscepturos haud doctrinâ minus quam temperantiâ modestiâve praestare oportet. Quo enim nobis consilia si exemplis caruerint?

6. Ac primo quidem procul sint ab sacris Pastoribus avaritiae vel luxus indicia: ereptas sibi ecclesiasticas possessiones haud querantur, sed gaudeant: nihil enim Apostolico viro anti-

quius quam paupertas, et fidelis castitatis cu-stos parsimonia. Pium Septimum politica domi-natione dejectum vulgus fremit Non ego is sum qui civilis regni munia divino interdicto Romano Pontifici exercere uefas dicam. Effuit id haereticorum audacia; sacri tamen ministerii ac politicae potestatis dignitatem sociare simul nec decorum satis, quin et gravi in Christianam rem damno saepius fuisse quis sobrius abnue-rit? Eo nexu conversa Romanae Ecclesiae fa-cies. Conflatam, ciendae auctoritati, Apostoli-cae Sedis imagine et nomine Curiam ambitus, avaritia, fraus polluerunt. Evangelica negotia prophano, qui apud Reges assolet, ritu tracta-bantur, nec mirum, si civilibus haec saepius posthaberentur, ac pessum ruerent. Flagran-tior Romanos tuendi regni incesserat cupido: hinc domi forisque bella et contentiones, la-cessitae Christianos inter Principes discordiae, et summi sacerdotii dedecorata majestas. Per-rara Pontificibus, postquam regnassent, sancti-tas, nec labis expers, aut quae vetustis exem-plis liceat comparari. Haud cuncta retulisse pla-cet, ne longius ab incoepto digrediar. Haec tamen suffecerint; ut si quid vobis in Eccle-siam caritatis superest, gratulemur, deleto Ro-mani Pontificis imperio. Subeant animum ve-terum Patrum exempla. Nunquid Augustinus vel Chrysostomus temporalium rerum curâ ge-

atiebant? (1) Annon potius crebris querimoniis aspernati probrosum velut onus exuere saepius decreverunt? Sed nunquam annuit populus. Quae tamen ipsis indignatio, si de regno ageretur? Prorsus quin abjicerent, neequicquam populus prohibuisset.

(1) De Chrysostomo legenda Homilia LXXXIII. in Math. T. 7. p. 808 et seq. et T. 10 p. 190. Hom. XX. in Ep. I. Paulli ad Corinth. August. vero haec habet Ep. CXXVI. Tom. 10 app. p. 371. *Deus testis est omnem istam rerum ecclesiasticarum procurationem, quarum credimur amare dominatum, propter servitutem, quam debeo caritati fratrum et timori Dei tolerare me non amare, ita ut eâ, si salvo officio possim, carere desiderem.* Et Possidius in vita Aug. ita narrat: *Compauperum vero semper memor erat, eisque inde erogabat, unde et sibi suisque omnibus secum hobitantibus, hoc est, vel ex redditibus possessionum Ecclesiae, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè (ut adsolet) de possessionibus ipsis invidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus magis plebis Dei vivere quam illarum possessionum curam vel gubernotionem poti, et paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi, et ministri viverent, quo in vetere testamento leguntur, altari deservientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.* Tom. X. opp. August. p. 273.

9. Sed superstitiosi urgent: sublato Pontificis principatu, divina ipsius auctoritas nutat alienae dominationi obnoxia. Perperam sane, et falso. Nonne eadem Romano Pontifici auctoritas quae et Episcopis, priore licet excellat gradu? Sed quis Episcopos, quod pareant Regibus, mancipia dixerit? Nihil vero de Christiana re sanciendum Pontifici, ut suo duntaxat arbitratu viguerit. Universae in id Ecclesiae consensus suprema fuit, eritque semper fidelibus lex, et falliere nescium veritatis argumentum. Ecclesiam in Imperio natam affirmant Patres, nec servam tamen, cum haec in aeternam, illud in humanam felicitatem adsit. Igitur sua utriusque servetur instituti ratio, et sua cuique stabunt jura, et libertas (2). Nec Christus quid

(2) De ecclesiastica auctoritate praeclara docenere Gallicani Patres anno MDCLXXXII, quae hic exscripsisse non abs re fuerit.

Primum: Beato Petro ejusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo; et iterum: Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo; ac proinde stare Apostolicum illud: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas

politicae potestatis Ecclesiae tribuit; si id forte necessarium, ut fertur, vel conventientius; ergo male consuluit Deus qui Ecclesiam fundandam pauperibus mandavit, trecentisque et amplius annis illam inopiâ laborasse, mox quingentis,

nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo et Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiae, directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientiâ, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae, quam Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam). Jo. XVIII. 36, Luc. XX. 25, Rom. XIII. 1 2).

Secundum: Sic autem inesse Apostolicae Sedi ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gallicanâ perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quartâ

ubi afflueret opibus, summum Antistitem regno caruisse sivit. Sic tam longi aevi spatio desiderata religionis praesidia; cum tuendae illi fides, doctrina, atque patientia impares fuerint, nec

et quintâ continentur, nec probari a Gallicanâ Ecclesiâ, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant.

Tertium: hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per Canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesiâ Gallicanâ recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae sedis, ut statuta et consuetudines tantae sedis et Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.

Quartum: In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

Quae accepta a Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas atque Episcopos, iis, Spiritu Sancto auctore praesidentes, mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu, et in eadem sententiâ.

Ecclesiam tunc his floruisse nisi per insaniam dici possit. Haec tamen impia haud dubito quin vel cogitatione Praesules execrentur. Quare aequo animo sint: deserez jam tandem haereticos exprobratae dominationis invidia. Plura ab Regibus olim concessa, modo abrogata, uti nec jactasse tunc, ita ad praesens nec vindicare decet. Ea nimirum Religionis magnitudo quae nihil horum egeat, sed solis virtutibus inolescat.

20. Sublatis unde sacri Pastores ambitionis insimulabantur, compositisque ad severitatem moribus verendo magis praeerunt magisterio, suasuque facilior doctrina: quibus enim nulla inuritur culpae nota, libentius fidem adhibemus. Jam vero docendae Religionis ratio pluribus abhinc saeculis absurda, ambaguum ac contentionum uberrima seges. Igitur illuc praevertamur, ut quae catholica fide credenda sint, explicemus. Illud enim et solum catholicae fidei sit quod Scripturâ seu traditione magistrâ, omnibus divinâ fide credendum Ecclesia proposuerit. Haec regula princeps, quâ superstitiosorum adrogantia, simul ac haereticorum malignitas coerceatur. Plurima illi nempe placita suomet ingenio conficta tanquam dogmata inculcant, obtrectantibus istis, velut si Catholicae Ecclesiae decreto sanciantur. Pulcherrimum sane opus, quod Bossuetus, Veronius, aliique consulto susceperunt, haud improspero apud hae-

reticos, ut edocerent, exitu; mancum tamen absolvatur oportet, cum multa adhuc enucleanda superfuerint, quae diuturnioribus ad pertinaciam disceptationibus implicantur (3). Peracto dogmatum delectu, inquirendum quid multa inter opinionum discrimina Ecclesia doceat, docendo quippe haud definiat, nisi id occasio tulerit. Aliud enim Ecclesiae doctrina, aliud dogmata; illa ad fidem pertinet, quam perscrutere, et serves; haec fidei jam catholicae, quae omnino ac procul dubio credas.

11. Undenam vero Ecclesiae doctrinam noveris nisi ex Patribus, dein Apostolis, mox Christo ipso magistris? Quippe illinc fons et origo scientiae, ut in rem Tertullianus scripserit: illud dominicum et verum esse, quod prius traditum, illud extraneum et falsum, quod posterius immissum. Antiquissima igitur veritas, error nonnisi veritatis simulator et recens. Nova persequantur Philosophi, nos antiquitati studebimus; ideo Catholici dicimur et sumus, quod antiquae fidei adstipulamur. Abnormia nobis quaeque ultra citraque veteris doctrinae regulam posita, ut ineptire scholasticos Theologos dicamus, tot inventis disceptandi libidine opinionibus. Scriptura et traditio duces praeibunt;

(3) Consule Bossuetum: *Exposition de la doctrine de l'Eglise Catholique*, et Veronium: *Regula fidei Catholicae.*

propior esse videatur, quid illi noxae aut poenae inuri haudquaquam possit. Quod ubi laudaveris, jam non Christianis gratulari juvat; melior quippe illorum conditio, quos nec severa lex urget, sed adeo felix ignorantia protegit ac reddit innoxios. Et impu nil habent quod ultra exoptent; huc enim (jam innuimus) conatus et vota recidebant, ut Catholicae Religionis ignoratio seu neglectio inculpata ferretur, necnon liceret mortalium cuilibet suopte ingenio (quin tamen, additur, partium studia subrepant) de Deo Divinoque cultu sentire. Maximum igitur Augustinianae sententiae momentum, unde adeo nefanda propellantur. Sed vel hac severius praecepta morum tuebere, tuendi vero gravior in dies premit necessitas. Scilicet intolerandae superbiae, affrenataeque libidinis irritamenta eo falsa lacessit quo vera cohibet de Christi gratia doctrina; neque opus hic ut demonstrem, quod jam centies Theologorum doctissimi perfecere (4).

12. Caetera Ecclesiae documenta, quia longior mora, persequi non vacat. Pauca tamen de infensa jugi materia, qua nil apud Theo-

(4) Lege prae caeteris clarissimi Theologi sic inscriptum opus: *Petri Tamburini Brixiani de summa catholicae, de gratia Christi, doctrinae praestantia, utilitate ac necessitate.* Ticini 1790.

logos tractatu uberius, explicatu difficilius, conjugio nimirum adjiciam. Conjugii idem ac naturae conditor Deus, cum primum hominem finxit, faeminaeque adjunxit, uni unum, viribus ac voluntate necnon procreandae educandaeque sobolis munere illatis. Priores igitur hominum naturâ non arbitrio conjuges; proinde illud conjugium caeterorum exemplar et norma: atque in eo naturae ipsius lex sata videtur, quae unitatem, firmitatemque conjunctionis sanciret. Quid enim naturam, naturaeque leges nisi Divinae creationis ordinem dixeris? At postquam humanum genus sobolesceret, variosque in coetus civiliter coiret, conjugia delectu, pactove inita sunt, cum vir faeminaque inter plures ultro, cui copuletur, deligat. Quoniam vero civilis respublica stet, ac se regat, auctore Deo, qui homines, ut suopte convenirent ingenio, perpulit, maximique ponderis in republica matrimonium sit, eo quippe bene composito, et ipsa ordinatur; hinc certa patent in tantam rem imperantibus jura. Eorum nempe fuerit quo ritu, quibusve ineunda conditionibus matrimonia, statuere, necnon contra fas legum inita solvere. Tandem ubi Christus informandis moribus, servandoque per fidem homini homo ipse simul et Deus advenit, haud immutata matrimonii ratio, nec, quibus summa rerum quicquam auctoritatis sublatum. Dehonestata libidinibus conjugia exprobravit, unâ

et individuâ viri ac mulieris ad primaevam formam societate restitutâ. Sacramentum insuper adiecit, non quo fideles jungerentur ad nexum, sed foedere jam nexos conjugali augeret gratia et sanctitate. Caetera imperantibus decernenda permisit. Quaerenti igitur quid juris in conjugum Ecclesiae fuerit, individuam praedicare unitatem, sacramentum fidelibus ex lege nuptis impertiri dicam. Nonne tamen inquies de conjugali pacto sexcenta legimus Ecclesiae decreta? Prorsus haec assensu Principis lata, dum annueret, digna quae colerentur; si respuat, ejus veluti nutu antiquantur. Una Evangelii praecepta, una fides aeterna.

13. At haec atque talia religione et legibus simul componendis accommodata in irritum revolventur, ni ad veterem severitatem disciplina instauretur. Qua vitiorum colluvie premamur referre supersedeo, cum vel nequiores id bene sentiant. Concidisse Christianam rem forte quis crederet; non quod virtutum exempla desierint, et saa quaevis aetas dedit, dabitque; sed haec plerumque in obscuro, vel ubi innotescant, obtrectationibus petita; haud modicum compendium si citra iram parvipendantur. Jam vero arcta per se apiscendae salutis via fit angustior ruenta disciplinâ. Ut mollia instituta mores hominum facili negotio corrumpunt, ita et severa ad virtutem informant. Exinde ipsius virtutis honos subit ac admiratio, mox amor, tandem

crebritate exemplorum quaedam consuetudo miram gignens ad quaeque forta facilitatem. Tanti igitur, ut antiquitus, et in praesentia valeret disciplinae rigor. Equidem fateor iniquitate temporum plura antiquitatis non ferenda prohiberi; aeque tamen plura, ut revocentur, cogi. Sapientiâ et moderatione consolendum. Ac ut potiora loquar, praecipuum instaurandae disciplinae munus Poenitentiam Eucharistiamque attinet. Si longa et semel criminibus seu palam seu clam admissis publica olim poenitentia ferebatur, poenitere modo coram omnibus haud pudeat, qui graviore manifestoque scelere adstringuntur. Caetera occulta occulte expiari fas, aequâ tamen poenâ, et quae perversitatem anteactam ulciscatur, ac futuram caveat. Nec prius reconciliatio peccatoribus detur, quam sedulo corrigantur. Longioribus igitur moris opus, ut tenax probetur novae vitae propositum simul ac ad diuturnitatem vigeat. Flens dico, nec reticuisse juvat. Non ea sane pluribus abhinc saeculis, qua poenitentes coërceantur, ratio. Vel hominum sceleratissimi patefacto tantum in aurem sacerdotis, inexpiato tamen crimine, quin et ulla morum emendatio antecesserit, absolvuntur. Ita scelera impunita, nihil bonos inter malosve discriminis, superstitio, et impietas immensum auctae, perinde ac si scrutator pectorum Deus non extiterit, aut improbi per pietatis incitamenta divinam iram deprecari pos-

sint. Haec satis in comperto, ut occultari nequeant, damna. Quid si haeretici audaciores exprobraverint: inane, et exitiosum Poenitentiae sacramentum; se magis moratos, quia illud sustulissent: aliter apud veteres usurpatam poenitentiam. unius Dei esse ut peccata nosse, ita et veniam dare. At quos tantus agit obtrectandi furor, Ecclesia facile coarguerit, poenitentibus nonnisi post diuturna experimenta reconciliatis. Ut enim Patres docebant, ex difficultate sanationis diligentior adhibetur custodia sanitatis. Quare sacerdos caritate ac doctrinâ peccatores ad poenitentiam diutius exerceat, secretiores animi cupiditates vestigando illis exprobret, et ad novam vitae rationem instructos, severitatis vindex, levitatis objurgator, nonnisi in sententiâ permansuros absolvat. Quid corrigendis moribus aptius?

14. Poenitentiae stadium ignavis longinquum, recidivis iteratum, studiosioribus contrahi antiquitus placuit; idque Paulli erga Corinthium incestum exemplo; et indulgentiae nomen obtinuit. Collapsâ disciplinâ, dum nullius jam poenitentiae rigor superfuerat, indulgentiae favor absurde increbuit; ut eam veluti inanem haeretici respuerint. Fefellit illos quidem adrogantia et odium; haud minus tamen ab quamplurimis Catholicorum superstitione peccatum, quaestâ vicissim et praebitâ, nec sine pretio, per verborum ambages et fabulas, pene incredibili in-

dulgentiae copiâ. Quid enim sibi velit (ut ineptiora sileam) centum et mille annorum toties ingeminata venia, humanae vitae curriculum supergressa? Absurda absurdis addere desinant scholastici. Ea indulgentiae vis quae a principio valuit. Qua de re, auctore ipso Tridentino Concilio, revocanda vetus consuetudo (5). Nec peccatores assentari sibi turpiter audeant: nulla quippe indulgentia, ubi expiandis criminibus haud satis impigre adlaboraverint. Jam vero quos turpiora scelera polluerant, vel corrigendi spes aberat, ut Evangelium monet, non secus ac ethnicos olim Ecclesia habuit. Novissima haec poena, gravius enim ne animadverteretur, Christus vetuerat. Formidolosissimum tamen Christianis anathema nonnisi iteratis ter monitis, auditoque ac convicto reo indicebatur. Cupidine posthac dominationis, oblitique veteris disciplinae anathemata leves ob caussas, quin et civiles, pene ad libidinem, Praesules ferre ceperunt. Mox sublato sontibus ad resipiscendum spatio, insanâ ulciscendi eo ventum ut repentino anathemate inauditos, indefensos, prope et inconscios percelli posse crede-

(5) *In his tamen concedendis* (indulgentiis) *moderationem, juxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem adhiberi cupit* (sancta synodus). Concil. Trident. sess. XXV. decret. de indulgentiis.

rent. Nec defuit scholasticis industria, qua subtiliter juxta et insulse tantum facinus tuerentur. Nam crimine, vel quod crimini dabatur, semel admisso, statim reum extra Ecclesiam fieri docebant; licet is Ecclesiam ipsam haud respueret et ab sacris Pastoribus seu tolerantibus seu ignaris Catholicorum inter gregem haberetur. At gravi quis noxa adstringitur, jam caritate, qua Ecclesiae copulatur, caret; scelens autem puro indissolubile prorsus ad dilectionis vinculum; morte enim fortius sacris literis praedicatur. Unum igitur superest ut justi perinde ac peccatores, anathematis ictu nonnisi ab externa Ecclesiae societate sejungi possint: illorum quidem ut immerentium haud exitio, quia caritate serventur; horum vero ad extremam, ni resipiscant, perniciem. Ceterum sejunctio isthaec, si externa tantum habeatur, et publica sit oportet, quaeve fideles haud lateat. Exinde judicis ore in reum ipsum proferenda sententia. At scholasticorum placita, Romanaeque Curiae instituta sic everti penitus dixeris. Merito quidem et gratulor. Neu tamen confusio sequatur Episcopis cavendum. Nimirum prorsus abstineant cum de civilibus politicisve negotiis inciderit contentio: in ea quippe nec statuere nec inquirere Ecclesiae licet; lenter vero corrigant quicquid puniendo fit deterius; nonnisi ob foedissima crimina anathema sanciant, et in monitos ferant. Ubi seve-

rius agendum, reum confitentem vel convictum semper habeant. Quod si consibi pigeat, sciant Praesules id genus poenae vehementer ab impiis haberi ludibrio, nec satis obsequii superesse fidelibus unde vereantur (6).

15. Divinae in nos caritatis magnum Eucharistia pignus; sed plura jamdudum quae cultum temerant, ut in ambiguo, gravius num deliquerint qui illum respuant, an qui adeo indecore tractaverint. Veteres dum poenitentiam agerent, Eucharistiâ arcebantur: illamque vel vidisse piaculum. Aspicere et frui nonnisi fidelibus concessum, quos inviolata sanctitas vel acta jam poenitentia tali donabat honore. Quae tunc ex fide caritas, quaeve in simplici cultu

(6) Memoranda prorsus quae de anathemate sentiebat sanctissimus vir Gersonius libro de vita spirituali lib. 41 coroll. 14 pros. 2. *Quaeret aliquis quid operentur excommunicationes latae sententiae per canones. Respondeo sicut accepi a praeceptore meo, eas tantum modo operari, ut absque processu alio, aut nova constitutione possit judex statim probato facto vel confessato ferre juris sententiam, et eandem publicare, non sic ubi canones essent solum ferendae sententiae, quoniam monitiones et processus secundum terminos juris praerequiruntur multiplices.* Apud Dupinium *de antiquâ ecclesiae disciplinâ*, dissert. III. cap. II.

diligentia decoris, ac reverentia! Sed cuncta pessum iere. Encharistia sine delectu traditur; nullum accipientibus, quod resipuerint, vel diligentius Deum colant, indicium. Sacra peracturis adsunt vel per contemptum impii, nec, qui peragunt, satis venerabundi ut pietatem foveant. Circumstant sacrificium desidia, neglectus, incompositus oris habitus, saepe et seminuda faeminarum pectora, mussitatio, risus, et alia passim illecebros ora. Quid vero caussae cor divina mysteria frequententur assidue? Avaritia sacerdotum, populique superstitio. Scilicet illi sacrificia pro dictâ, haud raro et pactâ pecuniâ, ad instar mercis foenerantur; iste vero singula sacrificia nonnisi singulis qui aurum rependerint, profutura credit, perinde ac si in potestate divitum tanta res foret, divinique sacrificii fructus sacerdotis non Dei miserentis arbitrio penderet, vel tandem in unius non in universorum salutem, Christus jam pro omnibus mortuus, una oblatione ad altaria sacrificaretur. Qua igitur fronte spreti per impios ministeria sacerdotes querentur? Prorsus omnis apud querentes ipsos culpa; nec ullum suppetit remedium, nisi tot probra sustuleris? Sacris adsint peccatores quos scelerum poenitet; tamen qui impietate exultant religioni illudentes, prohibeantur. Jam non sua manebit Ecclesiae libertas si cum impiis illam preces et id genus officia miscere coegeris.

Templa his nonnisi concionem audituris patebunt. Sacrificiorum copia, unde neglectus ac fastidium, minuatur; per horas distincta, nusquam tamen plura simul peragantur; deletâque omnis foeneris specie, stips vel nulla vel sponte erogetur, prout cuique adstantium libuerit. Procul obstrepentium musicorum turba, procul digna theatris pompa; sed cantus placidus numerisque et modis ad venerationem compositis; cunctaque decoré, et ordinatim absoluta.

16. Simulacra Sanctorum proferantur, quin tamen superstitio obrepat, vel quid oculus offendat procaci venustate expressum. Jamdiu criminati sunt haeretici signa nos et imagines gentilium religione adorare. At calumniae vis haud omnino repulsa, cum saepe plures ex vulgo sacra plus aequo revereantur simulacra, alia aliis bonore praeferant, tanquam sanctiora habeant, et caelesti virtute praestantia. Quid vero turpius, ubi haec lascivis formis efficta, cultui protuleris? Si veneranda per intuitum, ipsa Religio ne id intueare deterret quod vel jam mente concipere vetat. Quousque igitur Episcopi tantae offensionis ac ignominiae caussam socordiâ desides toleraverint? Jamdudum Ecclesia queritur; et viget usque hac super re Tridentini Concilii decretum (7). Numquid praestan-

(7) *Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, et imaginum sacro usu tollatur;*

tiam doctae artis praetenderint? Proh nefas! quem nostrum latet Christi sententia: quod homines magni fecerint, Deum execrari? (8) De Sanctorum cultu adjicere lubet, temperandum esse, ne quem Salvatorem Jesum decet, ignara multitudo posthabeat.

17. Hoc erat impiorum in votis, ut nulli penitus dies festi sint, Eorum quippe celebratione ipsius Religionis quodammodo fasti traduntur, et Divinarum rerum memoria pietas alitur, fideique integritas munitur. Sed jam pridem superstitionis illectamentis, necnon sacerdotalis avaritiae artibus frequentata admodum dierum festorum solemnia. Comparari enim his vel inter criminia aeternae salutis spem sibi posse vulgus putat; et quo illa crebrior laetitia, eo largiora in sacerdotes munera coalescunt. Perversitatem coërcuere recens ex composito Principes simul ac Praesules: piget tamen feriatos, qui supersunt dies, prophana peragi celebritate, Choreae per id tempus, spectacula, theatra, et quaeque ludicra, alacrius usurpantur; ut

omnis turpis quaestus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur; ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur. Concil. Trident. sess. XXV. c. de invoc., venerat, et Reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus.

(8) *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Lucae c. XVI. v. 15.

intuta adhuc religio, donec vetustae pietatis documenta redintegrentur.

18. Sed redintegrata facilius, ubi nullus ambitu aut favore, nisi famâ virtutum cooptetur in clerum: populus quippe sacrorum, suopte ingenio, Pastorum imitator. Multi hactenus quod divitiis praestarent, vel inopiae arcendae id honoris adepti. Hinc immensa sacerdotum vis, religionis inscia, ignaviâ socors, ne dicam flagitiis contaminata. Tenebricosa quidem aetas nequiores vidit; et quaesita tunc per monachorum fratrumve, ut vocant, coetus subsidia. Haud abnuerim eximie istos pietate doctrinave enituisse; sensim tamen degeneravere, et sueta humanae naturae infirmitate, et quod Romana Curia dominationis suae ministros ac vindices adsciverit. Cumque ad meliorem frugem revocari non possent, deleri eos necesse fuit. Caeterum qui sacra munia ex sacerdotum negligentia pependerit, forte ipsos ultra quam satis est dixerit. Ego vero miseram Ecclesiae vicem indoleo quae tanti praebuit caussam erroris. Naque enim, ingravescentibus adeo malis, sacerdotum multitudine laboraremus, si apud omnes par virtus ac tuendae Religionis studium, et scientia. Quippe quibus spiritus ac dies deesset, quo sacris, ut decet, muneribus fungerentur. Quis Episcopo ministerio potior? Per ipsum sacerdotalis ordo gignitur, et totius Religionis instituta, jura, ratiove componuntur, vigentque,

Proinde Episcopos antiquitus frequentissimos per provincias praefectos legimus. Tamen ipsorum desidiâ factum, ut minutis nuper dioecesibus nullum jacturae argumentum populus praesenserit. Non ita sane res caderet, ubi haud laboribus et vigiliis in Ecclesiae bonum usquequaque pepercisseut. Ut ut sit, de sacrorum Pastorum virtutibus magis magisque satagendum ad praesens. Quas inter eminet castitas, nam de temperantia modestiave satis dixi. Invisum haereticis sacerdotes prohiberi conjugio, quod virginitatem naturâ ipsâ eo usque respui dictitarent, ut intemerata custodiri prorsus nequeat. At impius error Evangelio haud obscure damnatur, cum Christus castimoniam laudaverit, et Paullus vel sui exemplo suaserit: nec inficiari quis possit tot illustrium, quibus hactenus Ecclesia floruit, virûm faeminarumque catervam divinâ id ope praestitisse. Praeterquamquod ea castitatis lex, quae nisi lubentibus irrogetur, cum nullus sacrum in ministerium adigatur. Verum fuere ex nostratibus, qui humanae levitati haud satis consulto ignoscentes, sacerdotes, concesso conjugio, temperantiores fieri posse crederent. Viderint hi potius; precor, obtestorque, projectiores ad libidinem fore si rei uxoriae vacaverint: naturâ humani ingenii facillus abstinere quam servasse modum. Cumque adeo infesta virtutibus tempora inciderint, ut vix matrimonium, intaminato

utriusque conjugis honora, vigeat: experientia docemur, nuptos saepius ad foediora prolapsos quam caelibes. Quid avaritiam, quid ambitionem memorem? Vetus id in Ecclesia malum, acrioribus obrepturum stimulis nemo ambigerit, illata sacerdotibus in uxorem liberosve prospiciendi necessitate. Ita et operosioribus curis fatiscent, ut ab sacro avocentur ministerio; irritaeque tunc prorsus de ignorantia negligentiave querimoniae. Neque ex Graecis est cur id imitemur: licet enim, fovendae caritatis, haud reprehenderit Ecclesia; tamen lauda dignum nunquam habuit. Clericis quidem inire nuptias apud illos licet; sacerdotibus vero, si coelibes fuerint, nefas; simulque jussam, Episcopos ab uxoribus abstinere, Nec satis eo temperamento coercita libido. Postquam enim et Graecorum mores ire coeperint praecipites, sacerdotale conjugium saepius flagitiis foedum, necnon uxoribus e complexu mariti cohibitis molestum, sapientes incusant et tenet fama.

19. Quid vero vitae integritas praestiterit, si gerendis rebus industria ac prudentia desint? Ingentia urgent undequaque pericula; nec mala castris Ecclesiae assimilabitur. Ergo ut conspicui in acie Ducis, et Praesulum erit firmare dubios, monere ignaros, occursare paventibus, retinere cedentes, alios pudore, multos hortatu et laude, omnes divinae veritatis conscientia ac spe accendere quo impiis non vi, sed

patientiâ obnixi fidem strenue profiteantur. Praevalidum tanti operis instrumentum frequens ad plebem concio, necnon assidua Poenitentiae Eucharistiaeque administratio. Cujus tamen taedet et prope pudet Episcopos, quin et Romanus Pontifex per speciem regii decoris omisit. Quaeram audacter: Istine Apostolorum successores et aemuli? haeccine fides? Sed et communicare consilia oporteret; neque enim Episcopus sacerdotibus excellit ut dominus; et ipsis, impari licet auctoritate, concredita divinitus Ecclesiae cura. Prisca aetate presbyterium Episcopo copulatum, concordique sententia graviora negotia decernebantur. Ubi vero fidei, vel unitatis discrimen urgeret, in more positum acciri e provincia Episcopos, quo divinae vestigarentur literae; et collata traditio pari libertate ac veritatis studio. Ita saepius haeresum, seu schismatum, vix pullularent, semina delebantur, vel ne exitio ius vigerent, cautum. Et instaurandae disciplinae opus crebarrima caussa conventus. Nempe veterem illam Ecclesiae formam gravitate decoram, severitate saluberrimam, mutuis officiis suavem, unde Religionis honos ac praestantia invaluerat, Concilia plerumque provincialia sanxere. Quorum desuetudine sensim prolapsa nonnisi frequentatione revocaveris. Inveterata jamdiu apud Romanos Curiales opinio nec Episcopos e provincia cogi, nec per coactos quid

sanciri posse, abnuente Apostolica Sede. Sed Tridentinis Patribus Concilia provincialia singulis triennis placuit celebrari (q); simulque anxia Romana Curia vetuit, ne Conciliorum decreta inconsulto Pontifice, vel per ipsum incorrecta promulgarentur. Perculit superbia Reges nec indulgere benignius ut crebro Episcopi coirent. suberat quippe metus ne per Romanae Curiae obnoxios Regia potestas labaret, vel quid detrimenti Respublica caperet. At cum jam nullum bonis Romanae Curiae desiderium, si quae Caesaris Caesari Episcopi reddiderint, quid ultra coëundi, nisi desidia, praepediat?

20. Plura de magno Concilio dicerem: nihil enim salubrius componendis in universum Ecclesiae rebus. Quod utinam, iterum autem utinam; sed nisi vota supersunt. Studiosiore tamen unitatis curâ conspirare simul Episcopos

(q) *Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis Coepiscopus antiquior . . . quolibet saltem triennio post octavam Paschae Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more provinciae, non praetermittat Synodum in provincia sua cogere quo Episcopi omnes et alii qui de jure, vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur.* Concil. Trident. sess. XXIV. de Refor. c. II.

pervelim; quod nec dissimilitudo gentium, nec longinquitas locorum prohibet. Ea porro unitas ex fide, arctius tamen ex caritate, qua omnes in unum veluti corpus coëunt; singulisque membris id praecipuum officium ut totam compagem foveant ac roborent. Siquis caritatis expers ad dissidium irascitur, perinde ac si putredine membrum solvatur, ab Ecclesiae unitate divellitur. Rursus *episcopatus unus est*, ut docebat Cyprianus, *cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Et Symmacus ipse, Romanus Pontifex: *adinstar Trinitatis cujus una est atque individua potestas, ita unum est per diversos antistites sacerdotium*. Multis igitur unum gregem pascendum dedit Christus, ut si quis degener ab officio desciverit, caeteri reparandae jacturae subveniant; utque, sublatâ dissidii caussâ, auxilio promptiores fierent, unum inter ipsos sacri ministerii Caput et Praesidem constituit, cujus foret pervigilem ante omnes in Ecclesiae bonum adesse. Neque enim Ecclesia civilis reipublicae formam adumbrat; cum haec vi ac dominationi insistat; illa vero nonnisi concordia, consensione ac caritate nitatur et coalescat ad perpetuam unitatem. Doctrinam Patrum praeclariora firmant exempla. At quantopere id fecerint, si innuam, verbis exprimere satis nequeo. Scilicet anxii ac solliciti diu noctuque vigilabant, ne quis error fidei depositum temeraret, seu schisma turbarumve tantis-

per fomes erumperet, non modo apud proximos et suos, sed et apud longinquos et exteros: quippe quos una fides Ecclesiae liberos peperisset, et par caritas consociaret ut fratres, Non invidentia illis aut offensio, ubi per collegarum quemquam monerentur; nec deforme erga Romanum Pontificem obsequium. Ipse quidem praeerat canonum vindex, doctrinaeque custos, non subigendis sed conciliandis, si discrimen sententiarum incideret, Episcopis; neque id vernae datum; sed suo quisque munere fungebatur, cum universam Ecclesiam socialiter unaque sibi regendam putarent. Quid apud veteres Romanos Graecosque patriâ carius? Sed longe acrior majoribus nostris in Ecclesiae unitatem amor. Quam ut tuerentur, labores, aerumnas, vel mortem tolerare ipsis decorum et dulce: non adrogantiâ aut jactatione, sed modestiâ ac patientiâ, saepius per silentium, solis apud Deum precibus, quin ullâ praemii seu laudis, nisi aeternae, quam una fides suadet, cupido felicitatis incenderet. Habent igitur Episcopi unde coarguantur, habent quod imitentur. Etenim dum seorsim egerint sociorum incuriosi, et noscere, ac posci, quidve opus fuerit, collatis consiliis, scrutari ac diligentius afferre neglexerint, nescierim an unitatis vim probe calleant, et Ecclesiam diligant. Laborat quidem unitas non modo schismate in Ecclesiam ut infensam: sed et ipsius neglectu ut

alienae: utrumque inopiâ caritatis. Quod non dum satis animadvertisse Episcopos, vel ubi schismatis speciem execrari se jactitaverint, haud equidem miror: insitâ mortalibus naturâ adrogantiam exprobrare, et desidiam ignoscere. Adrident inter haec increduli, quibus optatissimum erit, si vel Ecclesiae Praesules sanctiora Religionis susquedeque habeant.

21. Ac ne gravissimum malum dissimulasse videar, plures jamdudum Ecclesias desiderio Episcoporum affligi dicam, haudquaquam tamen Romanum Pontificem permoveri, ut electos jam Praesules confirmet instituatque. Est igitur cur Episcopi doleant, et solliciti in id consulere haud diutius negligant (10). Si Romano Pontifici instituendorum Episcoporum auctoritas, ea certe uti pro ingenio haud licet; nihil enim Ecclesia pollet, nisi ad Evangelii leges, et in publicam utilitatem. At valde recens institutionis genus, aeque ac nomen, forte et perparam jactata necessitas. Antiquitus, ubi Regum voluntate, vel plebis, deinde Canonicorum suffragio in Episcopum quis deligeretur, Metropolitani, si nulla officeret culpae nota,

(10) *Gravitatem mali sensisse prae ceteris docuit Clarissimus Ratisponensium Archiepiscopus Carolus Dalberghius Opusculo Lutetiae Parisiorum vulgato, cui titulus:* De la Paix de l'Eglise etc.; Paris MDCCCX.

approbatione firmabatur mox sacrum ordinem initurus. At in universa rerum ruina neque id intactum superfuit, nam Curialium astu simul et audaciâ factum est ut Episcopi neo deligerentur, nec praesiderent, nisi Romani Pontificis nutu ac arbitrio. Tanti facinoris documenta insolentius ante omnes praebuit Joannes vigesimus secundus. Scilicet ille dominandi ditescendive cupidissimus fere omnia et quovis pacto quae per Ecclesiam beneficia vacassent, dum regnaret, fore, ut libuerit sibi, tribuenda sancivit: vacasse quippe apud Romanam Curiam censendum erat. Ausisse juvit, illexitque posteros Pontifices exemplum: hinc repetita per singulos eadem lex, non in perpetuum, sed ad uniuscujusque exitum valitura. Colla dedere jugo Episcopi, haud tamen quin plures fremerent Ecclesiam mancipium Pontificis fieri. At Curiales eo superbiores retinebantur, unde jurgia discordiae, ac passim tumultus; et Reges non modo ablatâ immensum pecuniâ Rempublicam exhauriri, verum et in deligendos Praesules jura sibi tolli graviter indignabantur. Per diuturnum certamen icto tandem inter potentiores foedere quievit. Nam Regibus Episcoporum delectus stetit, datâ Romanis Pontificibus veniâ, ut electos missis literis approbarent, nec sine pecunia ob id vectigali, quae saepius simoniaca audiit. Non una fuit apud omnes hujusce foederis ratio, varieque accepta, prout

tempora gentiumve dissimilis natura suadebant. At de his curiosius alii inquirant. Ego quidem Curiales percontabor num instituendorum Episcoporum jus Romano Pontifici Ecclesia tribuerit, vel sanxerit. Si quod invenerint Concilium, proferant. An Tridentinum favet? Sed eo canone (sess. 23 de Ordine Can. VIII.) adversus haereticos sancitum legimus legitimos ac veros esse Episcopos, quos Romani Pontificis auctoritas assumpserit. Nec immerito: Etenim ex inveterata licet consuetudine et Episcoporum obsequio, seu aegra patientia Romanus Pontifex Praesules deligeret, haud tamen hi schismatis insimulandi, cum ab ceteris fratribus exciperentur caritate unitatis; nec ipsorum Episcopatus varius aut falsus; quippe quem rite per sacrum ordinem suscepissent. Igitur nonnisi insaniendo figmentum id humanum haeretici dixerint. Haec in universum exposita. Insanires vero et ipse, si quotquot Romanus Pontifex ad Episcopatum assumpserit, veros ac legitimos Catholica prorsus fide crediderit. Quid si deligeret simoniacos et ad flagitia corruptos? Quid si vel haereticos, aut non recte ordinatos? An errare nescium, vel qui peccare non possit Pontificem praedicaveris? Caeterum neque omnes per Ecclesiam Antistites ab Romano praeficiendos Canon ille innuit, nihilque de Romani Pontificis auctoritate, nisi obiter, et narrantis instar, dictum, et au di-

vina fuerit, necne prorsus silstur. Nullum proinde hac super re dogma firmatum deprehenderis. Desunt verba et sensus non alius ac quem nuper tradidi. Haud certe latebat Tridentinos Patres disciplinam veterem longe aliter constitutam: cumque recens invectam haud sibi tantum vitium, quantum fortassis animi ut tolierent, qua praestabant prudentia tolerata, et ab immeritis haereticorum criminationibus purgare censuerunt. Quid ergo superest? Id unum omnino, ut quidquid in praeficiendis Episcopis contra instituta majorum sibi vindicavit Romana Curia non ullo Ecclesiae decreto, sed singulorum Pontificum regulis ac regiis foederibus dumtaxat nitatur et vigeat. Jam vero si Ecclesiae necessitas urgeat, si Regibus id opportunius visum, si vel ipse Romanus Pontifex quos Reges selegerint nullam ob causam, absurdâ tantum pertinaciâ respuat, Metropolitanorum jura quis neget revocanda? Et Episcopis quidem vetustos, quoad iniquitas temporum sinit, instaurare canones fas erit; nec tantae molis id fore putaverim, cum per Concilium provinciale, et ubi coëundi copia desit, sua quisque sponte pro virili parte suscipere possit. Nimirum sacros Pastores ab Regibus electos vel Metropolitanus, ut prisci moris erat, confirmet ordinetque, vel, ipso renuente, ex provincialibus senior, aut quis demum inter Episcopos, ut sorte contigerit; Episcopatus enim

amplitudo ac unitas non modo id fert, sed et omnino iubet, ubi ingens ingruerit Ecclesiae damnum. Satis id ut canonica missio habeatur, nec eos, qui ita missi fuerint, aliunde venisse exprobraveris. Haud mira loquor, vel quae exemplis comprobare nequeam. Celebris apud veteres Eusebius Samosatensium Episcopus postquam per Valentem Imperatorem sede propulsus sua exulasset, ubi adlatum Syriae, Phoeniciae, ac Palestinae Ecclesias Episcopis caruisse, peragratis mox sub specie militis provinciis, Episcopos, Presbyteros ac Diaconos, prout opus ferret, ordinavit (11). Tradunt et plura huiusmodi ecclesiasticorum annalium Scriptores, quae lubens silentio praetermiserim, ne multus videar. Haud sum ignarus plures ex vulgo ut schismat cum inclamaturos, si quis forte, quae Eusebius olim, et ad praesens perpetra-

(11) » *Hic namque cum multas Ecclesias* » *suis pastoribus viduatas comperisset, militarem habitum sumens, et tiara capiti imposita Syriam, Phaenicen, ac Palestinam peragravit, Presbyteros ordinans et Diaconos,* » *aliosque Ecclesiae ordines supplens; ac si* » *quando Episcopos eandem cum ipso doctrinam fidei profitentes reperisset, eos antistites Ecclesiis indigentibus praeficiebat.* » Theodoreti Episcopi Cyri Eccl. Histor. lib. IV. c. XIII.

sat. Sed quid consultius ac melius fuerit, Episcopi inquirant ac statuant, et Reges pro suprema potestate imperabunt (12). Mihi addidisse liceat spernendam schismatis calumniam, Episcopatu Christianam Religionem potissimum fulciri, nec jacere illam, ac prope in occasum ruere, nisi quod episcopalia jura jamdiu viluerunt, et fere (absit verbo invidia) exoleverint.

22. Sed jam, ut ajunt, manum e tabula. Operae ne pretium fecerim, exarans quae tuendae Religioni rebar utiliora, haud satis scio; cum in ea tempora incurrerim, quibus invisa magis sunt remedia, quam mala. Audax tamen opus suscepi, non mei fiducia; sed conscientia veri, et vel paucorum, qui comprobaverint, judicio ac sapientia me consolor. Rerum temporumque dominus Deus olim meliora dabit, et Religio iterum invalescet. Forte et tunc aequior posteritas haud defuisse Ecclesiae gratulabitur, qui in hac saeva superstitionis ac impietatis vice securum veritatis redderent testimonium.

(12) *De hac quaestione lege Opus singulari industria ac eruditione elaboratum Benedicti Solari doctissimi Naulensium Episcopi, quod sic inscribitur:* Apologia di Benedetto Solari Vescovo di Noli contro il fu Eminentissimo Gerdil. Genova 1804.

" Tertium quod hic notandum occurrit est
» ordinatio non solum Presbyterorum ac Dia-
» conorum, verum etiam Episcoporum. Quae
» omnia cum sint contraria legibus ecclesiasti-
» cis, extra ordinem gesta sunt ab Eusebio
» Samosatensi, Divino Spiritu ad haec eum im-
» pellente, ut Arianorum furori obsisteret: hu-
» jusmodi plurima gesta sunt a praestantissi-
» mis Episcopis, Qui ubi Christianam Religio-
» nem periclitari videbant, parvi pendere sole-
» bant regulas et canones Ecclesiae, dummodo
» Ecclesiam ipsam salvam atque integram con-
» servarent. Itaque in hujusmodi discriminibus
» valebat haec regula: salus Ecclesiae suprema
» lex esto;

F. C.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 11	*lin.* 25	vobis	nobis
13	19	abs	ab
22	30	incitamenta	imitamenta
23	28	quaestâ	quaesitâ
27	25	sustuleris ?	sustuleris.
52	25	Ecclesiae	Ecclesiae status
58	8	vigesimus	vicesimus